DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. ANNA-CLAUDIO DORIGNY, Doctore Medico, Præside.

An præcipuum hominis in morbis internis medicamentum, Vegetabilia?

I.



MISERIS succurrere, languidos reficere, ægris sanitatem restituere, moribundos ex ipsis mortis faucibus eripere, hic Medici finis, hæc propria laus, hæc inenarrabilis lætitia. Sua quemque trahit voluptas: alios honores, alios nummi, alios delicatiores pertentant voluptatum illecebræ; *Qui amat Medicinam, amat homines;* & quid non magnanimum cogit civem nobilis hæc φιλανθρωπια? Is ægros invisere, naturæ signa vel minima patientiâ indefessâ, sedulitate exquisitâ observare, observata congerere, comparare, in propriam συνεσιν redigere, contraria contrariis repellere, quidquid naturæ ενορμοιυμενον infringit, accelerat, propriis medicamentis aut solis, aut solerter consociatis alterare, corrigere, tollere, in iis *artis longæ* studiis & noctes & dies consumere summas putat delicias. Sola angebat mœstitia similium ægritudo, sola delectat merces similium sanatio. Has vero singulorum morborum sanationes perficere, quî & certiùs, & faciliùs & modo ad naturæ normam magis accedenti, magis, ut ita dicam, specifico evinces, quàm vegetabilibus?

II.

CAUSAS morborum tolle, sponte concidet effectus. Porrò *Inest in homine amarum & salsum & dulce & acidum & acerbum & fluidum & alia quæcumque variâ facultate, copiâ, robore pollentia: Iis inter se mixtis ac bene temperatis sanitas, si quod eminet, morbus consequitur.* Unde enim nisi ex amarore diffuso anxietates, æstus, viscerum ac pectoris morsus? unde raucedines, anginæ, erysipelata, peripneumoniæ, nisi ex salsedine præsertim acri? ex

acíditate vero nonne cachexiæ affectusque prope modum infiniti exoriuntur ? Temperamenta ex quibus morborum & diagnosim & prognosim & curationis indicationem elicies, si humoribus assignaveris, quid aliud erunt quam exuperans in bilioso amaror, in sanguineo dulcedo, in melancholico aciditas, in pituitoso pro pituitæ genere acritas, salsedo, &c. Relaxari, constringi solida, id quidem effectus, nec plus ultrà. Nam astringunt amara, acerba, acria, &c. relaxant aquea, oleosa, nitrosa, &c. Quânam astringentis aut relaxantis specie peccant ægroti fibræ, quânam reparandæ ? Causa igitur morborum propria cum sit è suprà recensitis facultatibus repetenda, unde medicamentum certius, quam ex vegetantibus quorum singula aliquâ harum facultatum aut solâ aut mixtâ præpollet, extrahendum.

III.

HANC vero medicamentorum speciem singulis accommodatam quid faciliùs subministrabit, quid uberiùs profundet quàm eadem vegetabilium ubique & in apricis pratis & sub recondito sylvarum recessu & supra arduos colles & juxta viridantes fluminum ripas, intra saxa rupesque, in cultis & asperis, in sabulosis & opimis solis, sub dumetis, in ipsis interdùm stratis itineribus per singulas fere anni tempestates vicissim nascentium multitudo ? In universâ rerum naturâ tanquam Rex in suo regno Medicus obambulat. Huic vectigalia afferre invicem properant omnes omnis generis plantæ vel vulgatissimæ, minimaque interdum divitias præbet auri pondere non satis æstimandas. Nec vero eas ex Indiâ, ex Africâ, ex Insulis Canadensibus, ex Sinensi, Japonensi regione depromere necessarium. Tibi passim pedibus innascuntur innumeri Medicinæ thesauri ; sanitatis quasi apothecas omni copiâ redundantes expandit in singulorum regione naturæ conditor. Oblata hujus munera majoris pretii æstima, scrutare, adhibe, nec adeo sperne ut toties ad exotica nostroque minùs bene accommodata temperamento immensis interdùm sumptibus confugias. Si studii forsàn longioris fastidium superare juvaret, quam citò ex suo à Medicina exilio immerito tot veluti cives tantæ utilitatis revocarentur ! Quam citò in nostrum cederent usum Caltha, Mercurialis, Agrimonia, Caryophyllata, Bryonia, pretiosissimi Ninzin æmulum Sison nostras aromaticum, orientalis Senne virtutes superans, si rite preparetur, nostra Gratiola, alia denique innumera, ipsaque vel minima Alchymilla, Muscus capillaceus, dotibus nulli impar Herniaria !

IV.

SED ea est præterea vegetabilium medicamentorum præcipua laus, ut præterquam quod singulorum temperamentis amice consocientur, nec dispendiose, proprias etiam ac quasi specificas virtutes habeant, quas sola

indigitavit occasio, quas experiri certius est interdùm quam explicare: nùm satis unquam in Medicinâ celebrabitur ad debellandas febres Kina-kina, ad oppugnandos alvi fluxus vel inveteratos Ipecacuanha & nuperrime laudatum Simarouba, ad scorbutum Citrea, &c. Verè *Natura morborum medicus*: hanc venari, hanc veluti interrogare ex obviis, quibusque medico non indignum existimabat Hippocrates. Hoc sensu omnes, ipsi etiam sæpissime rustici sunt medici; primi observationis com otes primam tenent medicinæ clavim; nam, secure dicam, tutissima ea est Medicinæ perficiendæ via, observatio. Hoc altero cum pulsuum scientiâ baculo nititur celeberrima Sinensium Medicina. Quam multa etiam alia facile detegerentur remedia præstantissima, si ratio prior haberetur observationis quam ratiocinii! Teterrima morborum monstra conculcatâ forsàn omnium pedibus plantâ profligare mirum sane, sed nec impervium. Vidi, vidi ego Argentinâ solâ sedari inveteratum mensium profluvium, vidi lapides cysticos indicatâ Mecoachannæ cum sale ammoniacali, Indorum modo, ter ebullitæ ptisanâ, appositâ tumori Cepâ, per alvum, per urinas præcipitari, cruentumque inde exortum menstruâ revulsione vomitum à pluribus annis concomitantem, auxiliante enemate è vegetabilibus constante, subito sisti & naturæ vias tantâ annorum morâ obturatas iterùm aperiri. Nec minoris virtutis in indigenis vegetabilibus, si naturæ liber evolveretur, reperirentur medicamentorum vel simplicissimorum formulæ. Pleureses, Peripneumonias solo Borraginis & Buglossi succo citò curatas fuisse nemo nescit. Pulmonis hydropem sollicitante Nicotianâ saccharo aut melle conditâ innoxie ac sine ullis fere conatibus eructari cùm admiratione videas. Dolores dentium veteres acerrimos Allio cùm thuris pauxillo mixto cedere testes habeas celeberrimos: quid plura? alia adsunt innumera specificæ vegetabilium virtutis exempla, quæ enumerare nihil aliud esset quam totam Medicinæ historiam conscribere.

V.

NUM igitur, inquient, releganda quæ ex mineralibus, ex animalibus repetuntur ad morbos profligandos auxilia? minime gentium. Sua est cuique methodus. Adeo varia & multiplex conditoris in genus humanum eminet benevolentia, ut in tantâ medicamentorum quæ adversus morbos singulos subministrat multitudine, unum interdùm aut alterum, modò probe noverit Medicus illud apto tempore & modo offerre, morborum vim fere quamcumque possit interdum succutere, nec ullus multiplicem v. g. tartari stibiati, hydrargiri, prudenter administratorum Medicinam diffitebitur; sed & inter omnes convenit in eâ veluti μονοφαρμακία, tonsoribus & lippis facile communicandâ, multò minus Medici scientiam & artem elucescere. Præterea Mineralia ut pote solida solidis tantum competunt, fit via vi, intus

corporis prælia ferro, globulis metallicis committuntur : naturæ jura negliguntur, huic fatalis sæpe infertur violentia ; innocua spernuntur remedia, lethalia potiùs eliguntur, quorum ut vires veneniferæ auferantur, (utinam omnes !) multis insudatur laboribus. Nùm propria hominis & naturæ magis accommodata hæc Medicina ? Nec latet plurimos in Auro aliisque hujus affinibus metallis reperisse chymicos vim quamdam naturæ, ut aiunt, homogeneam, unde medicinam universalem constituêre, sed quantis sumptibus, quantis dispendiis, dum humi jacent ac nostrum quasi servitium affectant nullius fere pretii pretiosissima medicamenta. Animalia verò nùm aptiorem nobis suppetunt medicinam ? Eorum carnem avidè sani deglutiunt homines, quàm sæpe suâ ipsorum injuria ! ægri jura carnium, alcalinâ jam indole ferventibus humoribus, num tutiùs potabunt ? nùm suaviùs eos delectabit varia animalium excreta partem ad medicamenta fere solam inservientem pleno absorbere gutture. Concludant igitur omnes unanimi voce,

Ergò præcipuum hominis in morbis internis medicamentum, Vegetabilia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Matthæus - Thomas LACASSAIGNE, *Scholarum Professor designatus.*	*M. Joannes* D'ARCET.	*M. Antonius* CASAMAJOR, *Censor Regius.*
M. Joannes - Baptista-Alexander MAIGRET.	*M. Franciscus* THIERY DE BUSSY, *Scholarum Professor, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in Supremo Senatu Parisiensi.*	*M. Raymundus* DE LA RIVIERE.
M. Josephus PHILIP, *Scholarum Professor.*	*M. Hugo* GAUTHIER, *Consiliarius Regis Medicus.*	*M. Antonius - Nicolaus* GUENAULT, *S. Ducis de Penthievre, Medicus ordinarius.*

Proponebat Parisiis CAROLUS-JACOBUS SAILLANT, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.